

dio frequentabantur. Veniebant magni & par-
 ui in scholas bonarum artium publicas, et ha-
 rum magistros colebant atque uenerabantur.
 Nunc, etiam cum in Academijs est discipulorum
 mediocris frequentia, in ijs tamen locis ubi artes
 bonæ & humanitatis studia docentur, magna
 est solitudo: Incredibile autem fastidium disci-
 pulorum, cum huic doctor, illi ratio doctrinæ
 displicet. hæc, oscitantia et somnolentia extre-
 ma quasi accumulatur. Non enim dici potest quan-
 ta inertia & socordia sit scolasticorum. Quam
 neque audiant attente, neque audita repetant ac-
 curate, neque studiose de non intellectis percon-
 tentur. In quo horum alterum malorum insit,
 necesse est, uel ut non dubitando suam ignoran-
 tiam, uel non interrogando negligentiam pro-
 dant. Sed hæc uideo frustra à nobis accusari, et
 tamen dolor tantus est, ut sæpe nobis & bonis
 omnibus mentionem ac deplorationem tantæ ca-
 lamitatis exprimat. Exoratus igitur, ut dixi, a-
 sserpsi quædam uerius quàm addidi cogitatio-
 num mearum huic libello, de quo ea est opinio
 mea, neque quicquam posse pueris ad indicatio-
 nem eorum quæ ars rhetorica profitetur, exqui-
 sitius, neque adultis ad reminiscendum expres-
 sius atque distinctius proponi, quàm quæ in hoc
 libello à patre cum filio differuntur. Atque est
 ueri certe simile, non fuisse in his describendis